



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Articulus I. Qualiter Prælati Ecclesiastici excedere, seu delinquere possint  
in Clericos sibi subditos?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)



*In Tit. XXX. De eo, qui furtivè Ordinem suscepit. 247*

quia quatuor minores ordines non dicuntur *sacri*. Ita Rebuffus in praxi beneficiorum, Tit. de Clericis ad sacros Ordines malè promotis. Vasquez in 3. p. tom. 5. D. 246. c. 5. n. 47. (& ex illo Cotonius in summa Dianæ, V. *Ordinis subiectum* n. 27.) qui expressè tenet, nullo jure prohibitum esse, eodem die conferre unum Ordinem sacrum cum minori. Et testatur Vasquez se vidisse sic prædicatum, & sine dubio sic fieri posse.

1134 Contrarium docet Joannes Maria Paserinus de Sextula Ordinis Prædicatorum, tom. 2. de hominum statibus, q. 189. Inspecione 10. c. 4. n. 839. dicens, suscipientem *sacrum ordinem simul cum uno minori*, esse suspensum ab eo, quem illegitimè suscepit ex c. *per literas*, de temporibus ordinat. citatque pro se, præter alios, Barbosa, de offic. Episcopi, allegat. 14. n. 1. & in Trid. Sess. 23. c. 13. n. 14. Sed c. *litteras*, expressè loquitur de *duobus sacris Ordinibus*. Tridentinum nullum verbum habet, quòd eodem die conferri non possit unus ordo facer cum altero minori. Barbosa in cit. loc. Trid. loquitur solum de *duobus sacris*, non autem *uno sacro, altero non sacro*. Rectius afferri posset c. 2. de eo, qui furtivè; ex quo Pirhing h. t. n. 7. docet, quod Sub-Diaconatus eodem die conferri non debeat cum minori ordine, nisi

alicubi vigeat contraria consuetudo, id, quod etiam tenet Barbosa in cit. c. 2. n. 2. Verùm cit. c. 2. ad hoc malè allegatur, cum solum loquatur de illo, *qui susceptis minoribus Ordinibus non contentus, eodem die Sub-Diaconatum ausu temerario* (seu furtivè) *suscepit*, ut exprimit ipse Barbosa cit. n. 1. & communiter Canonistæ, patetque ex titulo, sub quo ponitur c. 2.

Re. 4. Episcopum posse dispensare cum 1135 illo, qui susceptis quatuor minoribus eodem die etiam furtivè Sub-Diaconatum suscepit, ut in illis, quos furtivè non recepit, ministret. Idem est de Abbate, qui cum tali Clerico, si Religionem ingressus est, etiam in furtivè suscepto ordine dispensare potest, ut dicitur cit. c. 2. cuius verba sunt: *Cum H. lator presentium, sicut nobis suâ questione monstravit, ad tuam (ordinationis causâ) presentiam accessisset; juxta consuetudinem patrie sibi quatuor minores ordines contulisti. quibus non contentus, Sub-Diaconatum temerario ausu recepit. Quia verò idem Clericus in hoc factò multum excessit, mandamus, quatenus cum in minoribus duntaxat Ordinibus celebrare permittas. Si verò domum Religionis intraverit, & vita, & mores ejus exegerint Abbas (si voluerit) in aliis poterit Ordinibus dispensare.*

QUÆSTIO XXXI.

IN TIT. XXXI. DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.



Ramissis illis, quæ generaliter attingunt excessus, seu delicta tam Prælatorum, quam subditorum; nunc specialiter agendum est de excessibus Prælatorum in subditos, & horum in suos Prælatos; quos illi committunt, sibi subiectos gravibus mandatis, prohibitionibus, censuris, & aliis oneribus indebitè gravando; isti autem subjectionem, sub obligatione positam, negando.

ARTICULUS I.

*Qualiter Prælari Ecclesiastici excedere, seu delinquere possint in Clericos sibi subditos?*

NON est dubium, etiam Prælatos Ec- 1136 clesiasticos, quandoque in tractandis suis subditis excedere, ipso jure id agnoscante, ut patet ex rubrica hujus tituli. Et quamvis *excedere*, alioquin idem significet, *ac superare, & antecellere*; hoc tamen loco idem



idem est, ac *transgredi limites, seu terminum debitum*; & talis transgressio hic vocatur *excessus*. Tales porro excessus illis sub gravibus etiam pœnis prohibentur. Quare dicendum. 1. Prælati Ecclesiasticis cillitium esse, Clericos, vel Regulares, suæ jurisdictioni subiectos, tallis, vel exactionibus indebitis onerare, & nisi juxta ipsorum voluntatem solvant pecuniam, divinum officium interdicere; injustè, ac illicitè censuras in eos ferre, vel inhonestè eos tractare, ut Laicis despicabiles fiant; prout aperte decisum est in c. 1. h. t.

1137 Dicendum. 2. eisdem non licere, si ne legitima causa, Ecclesiam alteri inferiori Prælato subiectam, ab ejus subiectione, & obsequio liberare, c. 2. eod. Unde, licet Archidiaconi vi consuetudinis legitime præscriptæ possint acquirere servitia sibi præstanda ab aliis Ecclesiis in suo Archidiaconatu sitis; esto aliàs de jure communi, Archidiaconis non debeant aliæ Ecclesiæ, ac earum Rectores præstare servitia, & obsequia, nec jurisdictionem in illas habeant (cùm eorum officium plurimum consistat in consuetudinibus, gloss. *fin.* in cit. c. 2.) Episcopi tamen non possunt Clericos sibi subditos privare suis Ecclesiis, juribus, redditibus, vel consuetudinibus, nec etiam minuere. Sic Barbosa in cit. c. 2. n. 1.

1138 Dicendum. 3. non licere Episcopis, aliisque Prælati, Ecclesias, vel beneficia, quorum ordinatio, vel collatio ad ipsos spectat, sibi retinere; hoc enim numeratur inter excessus illis prohibitos in c. *ad aures*, 3. h. t. quod procedit; etiam si beneficium sit manuale, ut vult Pirhing h. t. n. 6. Ex quo sequitur, si Prælatas Episcopo inferior beneficium, cujus collationem, vel institutionem habet, sibi retineat, vel indigno conferat, jus conferendi, vel instituendi devolvi ad Superiorem; licet possit sibi retinere Custodiam Ecclesiæ vacantis, dum ei de Rectore provideatur. Gloss. in c. *ad aures*. V. *Intrudere*.

1139 Dicendum 4. excedere Episcopos, aliosque Prælatos, si Ecclesias, vel beneficia scienter conferant indignis, c. *inter dilectos* 11. h. t. Hic excessus frequens est; cùm reverà contingat, beneficia, etiam curata, conferri nonnullis amore sanguinis, vel ad preces aliorum, à quibus refulget spes reciproca, vel ob alios fines vèrè temporales, concedi notoriè indignis,

qui communiter administrationi per se ipsos inepti, per vicarios quandoque rudes, magno animarum damno, satis miserè suis Ecclesiis deserviunt, contenti proventibus, DEI cultu postremum, aut quandoque nullum locum obtinente.

Dicendum 5. illos excedere, si injustè impediant privilegia subditorum à summis Pontificibus indulta. Unde si Episcopus aliquid à subdito contra ipsius privilegium exigat, v. g. contra libertatem sui ordinis, concessam à summis Pontificibus, non tenetur ei obedire, ut dicitur c. *Sanè* 5. h. t. & excommunicatio ab Episcopo lata, contra talem subditum, in dicto casu non parentem, est irrita, & nulla c. *cùm ad quorundam*, 7. eod.

Dicendum 6. inter excessus numerari, adeoque jure communi etiam prohibitum esse Prælati, Episcopo inferioribus, penitentias publicas, & solennes imponere ex c. *Accedentibus*, & c. *in capite* 64. dist. 50. vel concedere indulgentias; quia hoc est dignitatis Episcopalis, ut vult Azor p. 2. l. 3. c. 55. q. 3. et si contrarium teneat Layman, Rodriquez, tom. 22. qq. Regul. q. 87. a. 1.

Quoniam autem quandoque ab Episcopis, & aliis Ecclesiasticis personis, multum etiam contra Regulares exceditur (ut exponit Gregorius IX. in c. *Nimis iniqua*, 16. h. t.) iis præsertim, qui *cacè cupiditate*, ut loquitur textus, *seducti propria aviditati subtrahi reputantes, quidquid Religiosis viris fidelium pietas elargitur*, quietem illorum multipliciter inquietant: ideo dicendum 7. non licere Prælati Ecclesiasticis à Religiosis exigere, ut contra regulam à Sede Apostolica approbatam, & sui Ordinis instituta, etiam inviti debeant illis confiteri, penitentiam, ac Eucharistiam recipere. Illicitum pariter est. 1. Prælati Ecclesiasticis, velle, ne corpus Christi in *Regularium Oratorii* reservetur; 2. exigere, ut fratres ipsorum defuncti apud Ecclesias suas sepeliantur, nimirum talibus Prælati subiectas; 3. cogere, ut si quis decedentium Fratrum alibi, quàm in suis Ecclesiis eligat sepulturam, funus primò ad Ecclesias suas deferatur, *ut oblatio suis eorum Prælatorum usibus cedat*. Præter hæc excedunt 4. quòd non suffineant Regulares habere campanam, vel cœmeterium benedictum; 5. quòd certis tantum diebus permittant ipsos celebrare divina; 6. quòd velint in domibus eorum certum numerum fratrum,



trum, Sacerdotum, Clericorum & laicorum, nec non cereorum, lampadum, & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigant ab eisdem; 7. quod non permittant, novos Sacerdotes eorum, alibi, quàm in Ecclesiis suis celebrare primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant & reservent; 8. Quod quidquid eis, dum celebrant Missarum solemniam, intra domorum suarum ambitum piâ fidelium devotione datur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendant; 9. Quod eisdem, tam in ornamentis Altaris, quàm in libris Ecclesiasticis, absolute collata, vindicent perperam juri suo. Sic Gregorius cit. c. *Nimis iniqua*.

1143 Idem Gregorius universis Ecclesiarum Prælati scribens, c. *Nimis prava*, 17. eodem; enumerat alia duodecim gravamina, Prædicatoribus, & Minoribus intentata, præcipiens dictis Prælati omnino abstineri. Illa porro sunt sequentia, quod eos cogant ad Synodos suas accedere, ac suis constitutionibus subjacere; nec his contenti, Capitula, & scrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos se comminentur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum Ministris & Custodibus exigentes; quod eis, ut tam extra civitates, quàm intra, cum eis processionaliter veniant, ex levi causa mandent; excommunicationis sententiam fulminent in benefactores ipsorum; id ipsum fratribus comminentur; eos de locis, in quibus Domino famulantur, fatagant amovere, nisi eis obediant in omnibus supra dictis. Quod, ne fratres ad honorabiliores civitates & villas, ubi religiosè, ac honestè valeant commorari, à populis devotè vocati, accedere audeant, inhibeant. Quod tam in accedentes fratres, quàm in receptores eorum præsumant excommunicationis sententiam promulgare; ab eis, etiam de hortorum fructibus, decimas, nec non de habitaculis fratrum (sicut de Judæorum domibus) contendant reditus extorquere (asserendo, quod nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur) volentes eos suâ totaliter ditioni subdere; eisdemque Ministros & Custodes præficere pro suâ arbitrio voluntatis.

Tom. V.

Demum in Clementina *frequens*, de 1144 excessibus Prælatorum, Clemens V. expressè ait: à plerisque Episcopis, ac eorum Superioribus, ac cæteris Ecclesiarum Prælati dictorum Religiosorum quietem injustè in subsequens multipliciter inquietari: nimirum, quod exemptos capiant, & incarcerent in casibus non concessis à jure; per gravium interminationem poenarum impediunt, ne, qui debent exemptis decimas, seu reditus, illos solvant eisdem: neve aliqui missas eorum audiant; quod molant in molendinis, & coquant in furnis eorum: *servientes* quoque, & *vasallos*, & *domesticos eorundem*, vel *alios qualitercunque contrahentes*, & *participantes cum ipsis*, suspendant, interdiciant, & excommunicent absque causa rationabili, pro libito voluntatis; bona illorum nihilominus interdum illicitè occupantes, & appellationibus, quas prædicti exempti, ob prædicta, vel alia gravamina rationabiliter interponunt, quandoque minimè deferentes, appellantes occasione appellationum hujusmodi interdum capiant, aut capi faciant, & carceri mancipari.

Secundò, quod Capellanos in Eccle- 1145 siis *pleno jure* spectantibus ad eos Regulares (licet nulla causa subsit legitima) celebrare non sinant, nec administrare parochianis Ecclesiastica Sacramenta; quidam etiam indebitè Abbates, Monachos, & Conversos exemptos, nec non & Clericos ipsis *pleno jure* subjectos (sicis non pareant) in iis etiam, in quibus non tenentur eisdem, *inconsultâ facilitate* suspendant, excommunicent, capiant, & incarcerent, ac loca, & Ecclesias ipsorum interdiciant; in exigendo insuper ab ipsis exemptis, ipsorumque subditis, subsidia charitatis excedant nimium contra eos, & insolitas, ac indebitas ipsis, contra jura, exactiones imponant. Novos census, & indebita onera parochialibus imponant Ecclesiis, in quibus exempti jus obtinent patronatûs; Processus justè factos, seu sententias justè latas à delegatis Sedis Apostolicæ, vel à Conservatoribus pro exemptis, publicari, seu executioni mandari à suis subditis non permittant; Tabelionibus publicis inhibeant, ne instrumenta conficiant, & Judicibus, ne justitiam faciant; ac jurisperitis, ne consilium, vel auxilium præbeant in causis, seu negotiis eorundem.

Tertiò, quod *præsentatos per exemptos* 1146

ii

ad



*ad ordines*, vel beneficia (quorum præsentatio ad eos pertinet) *admittere nolint*, nisi præsentantes ponant obedientiam in salutatione literarum, quas pro huiusmodi præsentatione transmittunt; Ecclesiis vacantibus, in quibus monasteria jus obtinent patronatus (repulsis personis idoneis præsentatis ad eas) personas instituant inhabiles, & indignas: quidam etiam Ecclesias, curam animarum habentes, ad mensam Abbatum spectantes, quarum fructus, quandoque Clericis secularibus tradunt, seu concedunt ad firmam, Clericis ipsis decedentibus, suis conferant Clericis, quanquam ipsæ propter hoc Ecclesiæ in veritate non vacent; Nonnulli in Ecclesiis Monachorum, iura ipsorum injustè sibi appropriant, & de ipsorum redditibus, ut volunt, ordinant, ita, quòd Rectoribus earum non remaneat, unde valeant sustentari; quidam cum armis, & erecto vexillo, molendina, & alia bona contra iustitiam destruunt exemptorum; ea etiam, quæ tanto tempore possederunt, quòd de contratio memoria non existit: mittantque frequenter, ad monasteria suorum civitatum, & Diocesium, suos consanguineos, & nepotes, & interdum animalia sua cum custodibus, ut eis de bonis monasteriorum debeat provideri: Abbas insuper, & Priores monasteriorum frequenter compellant, ut suis consanguineis, & nepotibus suorum, Monasteriorum, seu Prioratum possessiones concedant in perpetuum, vel ad tempus, quas quidem concessionem, vel pensionem Nos, ut ibidem ait Clemens, *nullas esse volumus ipso iure.*

1147 Quartò, quòd eosdem Abbates, & Priores quandoque compellant ad præsentandum sibi ad Ecclesias vacantes, in quibus jus obtinent patronatus, & ad monachandum interdum suos familiares, consanguineos, vel nepotes: frequenter etiam permittant, & tacite consentiant, quòd in suo dominio temporali per milites, vasallos, & ipsorum temporales officiales, Monasteriorum bona mobilia, & immobilia, per violentiam occupentur in casibus non permissis à jure, & aliæ variæ injuriæ personis Ecclesiasticis, & Monasteriorum hominibus irrogentur. Præterea, quòd interdum injustè Abbates, Priores, ac alios beneficiatos, beneficiis suis privent, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant, primo anno, prætextu

privilegii, quòd asserunt, se habere; quòd usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium possint percipere primi anni; quibus non contenti, equos, boves, thesaurum, & alia bona Monasteriorum, & beneficiorum vacantium illicitè occupent, quæ essent fructus successoribus reservanda. Denique quòd quidam ejusmodi Prælatorum militibus, & aliis potentibus dignitatum suarum redditus, & proventus vendant ad tempus, ut per se ipsos exempti vicini fortius opprimantur; nonnulli etiam indebitè monasteria dirimant; alii domos, & hospitalia, & alia bona Monasteriorum mobilia, & immobilia frequenter occupent, & detineant occupata; plures quoque sine causa iusta impediunt, ne exempti loca sua valeant reparare; quidam statuta faciunt, per quæ derogetur privilegiis exemptorum; & generaliter quàm plures Prælati præsertim exemptis, & privilegiatis Religiosis; in personis, & rebus suis, ac juribus spiritualibus, & temporalibus, graves inferant contra iustitiam, & eorum privilegia injurias, & jacturas.

Concludit tandem constitutionem suam sequentibus verbis efficacissimis: *Periculum, quia una est Regularium, & secularium Prælatorum, & subditorum exemptorum. & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus salvatur, quorum omnium unus est Dominus, & una fides, & unum Baptisma: decet, ut omnes, qui ejusdem sint corporis, unius etiam sint voluntatis, & sic ut fratres ad invicem, vinculo Charitatis, sint adstricti. Decet igitur, ut & Prælati, & alii tam exempti, quàm non exempti, suis juribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam. Universis itaque Prælati Ecclesiarum presentis Sanctionis edito districtè precipiendo mandamus, quatenus ipsi à prædictis gravaminibus omnino cessantes, & cessare suos subditos facientes, viros Religiosos, exemptos, privilegiatos & non exemptos, mendicantes, & non mendicantes, Charitativè tractent, & foveant, & sua jura, & privilegia inviolabiliter eis servent. Et quoniam plus solet timeri, quòd specialiter, quàm quòd generaliter inhibetur, eisdem Prælati districtissimè inhibemus, ut Abbates, Priores, & alios Religiosos, ne ad sua generalia, vel provincialia vadant capitula, impedire quomodolibet non presumant. Ex quibus satis aperte constat, prædictos Ecclesiasticorum*



corum Prælatorum excessus gravissimè ipsi prohibitos esse.

ARTICULUS II.

De excessibus Subditorum contra Prælatos, seu Superiores suos.

1149 Non est dubium, etiam subditos contra Superiorem variis modis excedere; reverentiam Superioribus denegando; coram secularibus contra eos super rebus spiritualibus deponendo; Dominos negando contra homagii fidem; eos invadendo; aut in favoribus eorum complicitibus causam, vel consilium præbendo; de quibus c. 15. h. t. statuitur, ut perpetuò abscindantur ab Ecclesia, & eorum beneficia iis, qui digni sunt, assignentur. Similiter in Superiorem peccant subditi, si non sunt continentes, c. Clerici 4. h. t. Si Ecclesiam suam, vel sibi subjectam, citra consensum Episcopi subjecerint, vel univerint alteri, non obstante assensu, vel confirmatione Metropolitanì, c. sicut unire, 8. eodem; si homicidio directè vel indirectè auctoritatem, vel consilium præstiterint, c. ex literis 10. eod. si sibi constituant collegium, vel fabricent sigillum, c. dilecta, 14. h. t. Personatum sibi falsò assument; contra eos, quibus fide, & Sacramento adstricti sunt, se erigant, de quibus in c. 6. h. t. dicitur, ut in eo Episcopatu non admittantur ad officii sui executionem. Prohi-

entur etiam peccata aliena in confessione audita, revelare, ne quidem compulsi c. dilectus, 13. h. t. Secundo de suis delictis gloriari (v. g. de copula commissa cum aliena muliere) & hi ab officio, & beneficio sunt suspendendi, c. quàm sst, 9. h. t. Tertio sectari libidines, maximè contra naturam, propter quas vel à Clero deiciendi sunt, vel ad poenitentiam in Monasterium detrudendi, c. 4. h. t. Quarto ea agere, unde scandalum oriri possit, v. g. frequentare ludos profanos, &c. de quibus agit titulus de vita, & honestate Clericorum. Excedunt præterea subditi contra suos Superiores, si Prælati Episcopo inferiores cognoscunt causas matrimoniales, c. accedentibus, 12. h. t. excipe nisi habeant proprium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, privativè ad Episcopum. Et ideo tales non veniunt nomine Prælati Episcopo inferioris, quando agitur de materia jurisdictionis. Vid. Pirhing h. t. à n. 21. Quintò, si Prælati Episcopo inferiores uniant Ecclesias sibi subditas sine consensu Episcoporum c. sicut 8. h. t. Ex quo colligitur Episcopum ex iusta causa (de his, quæ à Prælat.) & consensu Capituli (arg. cap. Pastoralis, de donation. & Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienan.) posse unire Ecclesias subjectas. Quod etiam procedit de Monasteriis illi subjectis, non tamen Ecclesiis Cathedralibus, ut docet Pirhing h. t. n. 19. Sed de hoc V. lib. 3.

QUÆSTIO XXXII.

IN TIT. XXXII. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

1150 **N**untiare novum opus est, illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, prohibere, ne tale ædificium fiat, vel in jam cœpto pergat, donec de jure ædificandi constet. Hæc novi operis nuntiatio, seu prohibitio est quædam extrajudicialis appellatio, & ideo, eâ pendente, nihil est attentandum, ut docet Andr. Gail. l. i. observ. 16. n. 2. cum communi.

Tom. V.

ARTICULUS I.

In quibus rebus, seu operibus locum habeat novi operis Nuntiatio?

1151 **R**esp. quòd in solis rebus immobilibus, sive in solis illis operibus, quæ solo conjuncta, aut jungenda sunt, & in eo sic fiunt, ut in eodem permaneant. Et ideo messem colligere, vel arborem succidere, non pertinet ad hoc edictum

li 2

L. I.